



**Erasmi a Chokier Tractatus iurisdictionis ordinariae in  
exemptos, illorumque exemptione ab ordinaria  
iurisdictione**

in duos tomos distinct.

Quo Praeter Varias Ac pervtiles Additionibus praecipuis & in foro  
potissimum occurentibus Tomi primi Quaestionibus annexas, etiam S.  
Rotae Romanae Decisiones Novissimae De Eadem materia editae, &  
singulari studio selectae continentur - Hac postrema editione  
praecedentibus duobus Tomis primum additus

**Chokier, Érasme de**

**Coloniae Agr., 1684**

Decisio XCIII. Exemptio Monasterii seu Ecclesiae à iurisdictione ordinarii ex  
quibus probetur, & an exemptus possit huic privilegio renunciare, seu illud  
amittere per non usum & negligentiam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61921](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61921)

## D E C I S I O X C I I I .

Exemptio Monasterii seu Ecclesiæ à jurisdictione ordinarii ex quibus probetur, & an exemptus possit huic privilegio renunciare, seu illud amittere per non usum & negligentiam.

R. P. D. Celso.

Gandaven. Exemptionis.

Veneris 10. Maii 1647.

## S U M M A R I U M .

- |  |  |
|--|--|
| <p>1 Exemptio Ecclesia refultat ex privilegio Pontificis declarantis illam sub jure Sedis Apostolica existere.</p> <p>2 Amplia quamvis in d. privilegio non esset facta mentio Ordinarii.</p> <p>3 Renunciatio extorta per vim &amp; metum nullius est roboris vel momenti.</p> <p>4 Exemptus non potest sine consensu Papa renunciare privilegio Apostolico, &amp; num. 5.</p> <p>6 Renunciatio exemptionis an sustineatur in prejudicium renunciantis, &amp; n. 8.</p> | <p>7 Exemptio respicit non solum favorem exempti sed etiam exemptionis.</p> <p>9 Jurisdictio ab Episcopo exercita non potest prejudicare juribus Sedis Apostolica.</p> <p>10 Exemptionis privilegium non amittitur per non usum exempti, quando non adest decretum irritans.</p> <p>11 Privilegium posterius derogat cunctis que constitutioni anteriori.</p> <p>12 Ordinario non competit jus visitandi loca &amp; monasteria exempta, in quibus regularis observantia exercetur.</p> |
|--|--|

**E**xistentibus Monasteriis tam Fratrum quam Monialium SS. Salvatoris Ordinis S. Birgittæ Teneramundanæ in pacifica possessione exemptionis ab auctoritate & potestate Episcopi Gandaven. ordinarii, contententis eadem monasteria nec non personas, & bona illorum jurisdictioni suæ esse subjecta, fuit per Signaturam Sanctissimi commissâ causâ Eminent. Card. Panzitolo tunc Rotæ Auditori, in cuius locum

locum suffectus, dubitavi an constaret de omnimoda exemptione & libertate à jurisdictione Ordinarii: & Domini in contumaciam Episcopi negligentis comparere, informantibus tantum Monialibus, Fratribus & Confessario, affirmativè responderunt, moti ex amplissimis privilegiis & indulgis Summorum Pontificum Bonifacii IX. Joannis XXII. Pauli II. & Leonis X. datis in Summ. n. 2. 3. 4. & 5. ex quibus aperitissimè constat dd. Monasteria, Abbatissam, Moniales & Confessarium, nec non bona quæcunque tam præsentia, quàm futura esse prorsus exempta & immunia ab omnimoda ordinariorum, & aliorum quorumcunque jurisdictione, auctoritate, potestate, dominio, visitatione & correctione, & sub jure, proprietate ac protectione D. Petri-julque S. Sedis fuisse suscepta; ex cujus amplissimæ concessionis forma clarè resultat omnimoda & totalis exemptio eorundem Monasteriorum à jurisdictione Ordinarii, juxta text. in c. si Papa & in cap. cum persona de priviil. in 6. Innoc. in cap. veniens. n. 7. vers. libertate de verb. signif. Angel. in summ. verb. exemptus n. 2. Tabien. n. 4. Decius conf. 113. n. 6. vers. & in isto privilegio & n. seq. ubi ampliatur, etiam si non fuerit facta mentio de jure Ordinarii, quod etiam voluit Chockier de jurisd. ordin. par. 1. g. 11. à n. 5. vers. nec erat necesse usque ad fin. Mascard. de probat. concl. 713. num. 1. & 2. Antonin. var. resol. l. 3. resol. 4. n. 1. Barbosa de potest. Episc. allegat. 123. n. 11. vers. primo si Pontifex, & n. seq. Rotam in Brundusina jurisdictionis 9. Februarii 1579. coram Bubalo & coram Seraphino dec. 1025. per tot.

Nec obstatè visum fuit, quod Abbatissa & Moniales, nec non Fratres & confessarius renunciaverint privilegiis prædictis subjiendo se & bona sua jurisdictioni ejusdem Episcopi; nam ultra quod hujusmodi renunciatio extorta fuit per vim & metum, ut firmatum fuit in præsentia causa sub die 29. Aprilis 1641. coram Eminentissimo Panz. vobis, & propterea nullius est roboris & momenti. tot. tit. ff. & C. quod met. causa Bartol. in l. §. 2. n. 4. ff. quar. rerum act. non datur. Calderin. conf. 1. de renunc. Roland. conf. 100. n. 11. & seqq. l. 4. & firmatum fuit in Posnaniens. Abbatisa 15. Junii 1646. coram me.

Adhuc dicebant Domini renunciationem prædictam non sustineri, ex quo non potest exemptus sine consensu Pontificis, cui immediatè subjectus est, renunciare privilegiis Apostolicis, & jurisdictionem alterius prorogare text. est expressus in c. cum tempore de arbit. ibi: cum et si spontè volueris, de jure tamen nequiveris sine licentia Romani Pontificis renunciare &c. notat ibi Abb. n. 2. idem Abb. in c. significasti. n. 8. in fine vers. conclude ergo & n. 9. de foro compet. Castren. conf. 431. n. 3. vers. quod autem l. 1. Ferret. conf. 102. num. 17. & 18. Gaill. pract. observ. l. 1. observ. 40. à n. 1. per tot. ubi num. 5. reddit rationem, quia interest superioris, ne subditus ab alio judicetur, Roderic. quæst. regul. tom. 1. g. 36. art. 5. col. 1. vers. præterea facit. Mandos. de signat. grat. S. exemptions. v. exemptus à jurisdictione. Sanch. in decal. l. 4. c. 39. n. 29. vers. prima negat. Morderm. de jure. Abbatiss. & Monial. disp. 17. g. 4. n. 2. & seqq. & in puncto firmavit Rota dec. 456. num. 10. 14. & seqq. & dec. 461. num. 20. & seqq. par. 5. recent.

Ddd

Et quam-

6 Et quamvis *glos. fin. in d. cap. cum tempore de arbit.* firmet sustineri certiorationem in præjudicium renunciantis, licet secus in præjudicium superioris, tamen minus quicquid sit de hujusmodi opinione, quam in terminis exemptionis reprobat.

7 *Abb. in eodem cap. cum tempore n. 7.* eâ ratione, quia privilegium exemptionis respicit non solum favorem exempti, sed etiam eximentis, quorum jus taliter est connectum, & connexum, ut dividi, ut separari non possit, & firmavit etiam *Rot. dec. 461. n. 11. & tribus seqq. & dec. 461. à nu. 24. par. 5. recent.*

8 In omnem casum non procedit in exempto immediate Sedi Apostolica subiecto, ut advertit *Feln. in cap. P. & G. num. 13. vers. & intellige de offic. & post. ff. de leg. Rota coram Seraph. dec. 595. num. 7. vers. cum enim isti, & coram san. mem. Greg. XV. dec. 225. n. 23. ibique Add. num. 29.*

Exceptio verò præscriptionis in partibus alias deducta nullo modo meretur allegari, tum quia illa non justificatur in facto prout necessario esset justificanda, tum etiam quia dum in contrarium, constat de quasi possessione exemptionis, quæ sita per Fratres, & Moniales, cessat quæcunque præscriptio prætenta per Episcopum circa exercitium jurisdictionis, quæ in omnem casum non relevaret, cum non possit præjudicare juribus Sedis Apostolicæ. *per text. in c. ad audientiam in fine, ubi Abbas n. 12. & Feln. n. 17. de præscript. Auth. quas actiones C. d. sacros. Ecol. Rota coram Seraphim. dec. 1024. n. 22. vers. præter has, & n. 23.*

Præsertim attento decreto irritanti in præfatis indultis Apostolicis appposito propter quod inficitur, quicquid in contrarium gestum fuerit, tam quoad verum, quam quoad possessionem, aded ut per negligentiam, & non usum, nullum fuerit eidem Monasteriis præjudicium illatum, ut post *Archidiacon. & alios probat. Feln. n. 4. cum accessissent n. 30. vers. 4. limita de constit. Rot. dec. 3. de priv. in antiqu. & dec. 24. n. 4. par. 4. du. & coram Buratto dec. 704. n. 10. vers. 3. quia.* Et fortius vigore constitutionis san. mem. Urbani VIII. editæ sub die 5. Junii 1641. incipien. *Romanus Pontifex n. b. nec non reliqua omnia.*

Minus relevat, quod juxta regulas ejusdem Ordinis in cap. 26. constitutum Episcopus tam Sororum, quam Fratrum dictorum Monasteriorum Pater, ac visitator, nec non etiam iudex in omnibus causis, quia cum postea supervenerint privilegia exemptionis à Bonifacio IX. & aliis Pontificibus concessa, per quæ omnis jurisdictionis Ordinario competens in personas, & bona hujus religionis, sublata fuit, unquam dabitari non potest, quin fuerit derogatum dispositioni ejusdem reg. *per text. in cap. de constit. in 6. Rota coram Greg. XV. dec. 267. n. 9.*

22 Demum ad id quod dicitur ex dispositione Concilii Tridentini competere Ordinario jus visitandi Monasteria, & loca exempta, placuit pro nunc DD. responsionibus data in decisione Eminentiſſ. Card. Panzitolii, nempe dispositionem prædictam non habere locum in illis Ecclesiis & Monasteriis, in quibus regularis observantia

exercetur, ut apparet ex verbis ejusdem Conc. sess. 21. cap. 8. de reform. ibi, propterea commendata Monasteria &c. In quibus non viget regularis observantia &c. exempta ab Episcopis, etiam tanquam Apostolica Sedis delegatis annis singulis visitentur &c. & nota Roderic. quaest. reg. tom. 1. q. 36. col. 3. vers. sed his qua diximus.

Et ita &c.

Ad part. 3. Quæst. 19. & 20. Additio.

**D**E quæstione an destructâ Ecclesiâ pereant omnia ejus privilegia vid. plenè Barbastren. de Eccl. Cathedr. c. 25. num. 444. Barbos. de jure Eccl. l. 2. cap. 2. n. 51. & seqq. Bursar. cons. 353. per tot. & de suppressione collegii Rot. dec. 221. n. 22. par. 6. recent. & de suppressione religionis dec. 321. n. 15. par. 15. recent. & de destructione Ecclesiæ facta casu fortuito, vel ab infidelibus, quodque per illam non pereant privilegia. dec. 58. n. 3. par. 12. & coram Bichio dec. 640. n. 11.

De eo verò an Ecclesiâ noviter ædificata succedat quoad omnia antiquæ ditutæ vid. Azor. Instit. moral. par. 2. l. 9. c. 3. q. 13. Dian. par. 3. tract. 12. resol. 20. Lotter. de re benefic. l. 1. q. 30. n. 26. Rot. dec. 177. n. 3. & 4. par. 15. & ultra hîc allegata distingui potest, quod suppresso loco aut certo genere personarum, si locus denuò ædificetur, vel alia personæ subrogentur sub eadem natura & qualitate, tali casu privilegia suppressorum transeunt in subrogatos, qui est casus decisionis 252. n. 8. par. 6. recent. Si verò reædificatio vel subrogatio fiat sub diversa natura & qualitate, privilegia non transeunt, ut in casu, quo in Monasterium suppressum & sæcularizatum substituuntur Clerici sæculares respondit Rot. dec. 33. n. 14. & 15. par. 11. recent. quamvis localis exemptio non tollatur per sæcularizationem, ut in dec. 197. n. 8. par. 14. & dec. 219. n. 10. par. 8. qua est dec. 8. supra in hoc tomo.



Ddd z

DECI-